


177

Sammelband

Ka

+



Contenta hujus voluminis Tomus VII

- (1) Disputatio Metaphysica de concursu causae primae cum causis 2dis.
- (2) de sanguinis stillicidio ex cadavere hominis occisi ad praesentiam homicidae.
- (3) Oratio de Tabaco ejusq; hodierno abusu Jacobi Tappii.
- (4) Disp. de Transformatione hominum in Bruta Jacobi Thomasi
- (5) - de Symbolis hoc dond odv Curbstrüßer
- (6) De determinatione causae instrumentalis et principalis, universalis et particularis.
- (7) De causa et causato in genere atq; causis aeternis in specie Henr. Wicleburgii.
- (8) De natura, divisione, origine et progressu Philosophiae cum primis Aetice, it: varij Platonem Sectis
- (9) De Mandragora disput. Philologica Jacobi Thomasi
- (10) De Cingarij Eiusd. auctoris.
- (11) Actus panegyrici impositae et mitrae Magisterialis et Laevae poeticae. it: oratio de proposita et impia libertate Philosophandi praesertim in religionis negotio, Josephi Conr. Durrii. it: programma Jacobi Thomasi ejusd. arguti.
- (12) Exercitationum duas: prior de notitijs naturalibus etc. posterior de Conscientia Andr. Sennerti.
- (13) Disp. Moralij de quaest. Utrum in jure natura fieri possit dispensatio Justij Cellarii
- (14) De abusu circumforaeae processionis Scribarum Arcularum disertatio.
- (15) Disp. de Todwepaynobiw Brennenmanni.
- (16) Disp. Philolog. de aenigmate Simsonis Kirchmaieri.
- (17) Dissertationes duae, altera de Ratione Statq; altera de Nobilitate Wilh. Schröters.
- (18) Disp. Juris publici de comitijs Electoralibus Rachelii.
- (19) Exercitationum variarum Juris publici Romano Germanici Tomynov.
- (20) Diatriba Judaeorum ex jure Caesareo et Pontificio concinnata Henr. Habnii.
- (21) Bernhardus Magnus ejusq; res gestae Disputatio propositae.
- (22) Disp. de auctoribus J. Werneri icti.
- (23) Synopsis historiae universalis Christophori Helvici.
- (24) B. Haymonij Episc. Halberstad. Historiae Ecclesiasticae lib. x.
- (25) Gervasii Tilberiensis de imperio Romano et Gothicis, Lombardorum etc regni commentatio.
- (26) Epistolae aliquot Caroli IV imperatoris
- (27) Calendarium Januarii s. de votorum oblatione disput. Job. Strauchi icti.
- (28) Delinectis Juris naturalis Henr. Ammersbachii.
- (29) De radio reflexo variorum phaenomenorum causa
- (30) De Rebus publicis in Genere Herm. Conringii.

ly


o:


on

recti.

entatio.









Q. D. B. V.
DISSERTATIO METAPHYSICA
DE
CONCURSU CAU-
SÆ PRIMÆ CUM CAU-
SIS SECUNDIS,

Quam
Consensu Inclutæ Facultatis Philoso-
phicæ in Almâ Lipsiensi
SUB PRÆSIDIO

VIRI CL.
M. VALENTINI FRIDERICI,
SS. Theol. Baccal. & Facultatis Philos.
Assessoris,

Dn. Fautoris, Præceptoris, atqve Studiorum suorum
Promotoris omni honoris cultu æternùm deve-
nerandi,

*publico φιλοσοφῶντων Examinī
submittit*

GEORGIUS GOTTLÖB Pitschmann
Lignicensis Silesius,

AUTOR ET RESPONDENS.

ad d. 24. Augusti.

ANNO clō Idc LXXII.



LIPSIÆ,
Literis CHRISTIANI FICKII.



PERILLUSTRIS atque GENEROSISSIME
DOMINE
DOMINE JOHANN GEORGI,
LIBER BARO
à Bibrahn in Modlau/
Hæreditarie In Reifig/ Wolffshann/ groß und klein Tschir-
besdorff/ &c. &c. &c.

DOMINE GRATIOSISSIME,

Du equidem ancipiti curâ distractus sum, an ad TUI NOMINIS
Fastigium hujus Dissertationis pauperiem ponerem; siquidem mihi
partim virtus, quâ circumcirca PERILLUSTRIS atq; GENE-
ROSISSIME Domine, fulges; partim, Generis, unde ortum traxisti, subli-
mitas, honorisq; tantam virtutem qui comitatur, Amplitudo formidinem
incudebat. Enimverò omnem mihi timorem admiranda TUA, quâ in
liberalibus studiis invigilantes es, HUMANITAS eripuit. Imò ut
hoc facerem Parenti meo, intercepto, proh dolor! Fatò, & a vitò jamdu-
dum sepulcrò condito à PERILLUSTRIGENEROSITATE
TUA exhibita beneficia admonuerunt. Quæ quamvis referre neque-
am; attamen ut illa oblivionis nube obducantur nunquam permittam.
Quapropter cum aliud non habeam, hos tenuissimos, quos in me Famigera-
tissima Philuræa protulit, Partus, PERILLUSTRIGENERO-
SITATI TUÆ submisso cordis adfectu offero, quæ ut eo animo à
PERILLUSTRIGENEROSITATE TUA accipiantur, quò
summus ille Persarum Monarcha Darius haustum volæ Aquæ ab infimæ
conditionis homine accepit, obnixè peto. Vale, PERILLUSTRIS
atq; GENEROSISSIME DOMINE, & si Patrem amâsti, ut amâsti,
etiam in Filium rivulos illius Amoris ac Gratiæ derivare ne dedigneris.
Dabam Lipsiæ.

PERILLUSTRIS GENEROSITATIS TUÆ

submississimus Cliens:

GEORGIUS Gottlob Pitschmann/SS.
Theol. & Philos. Studiosus.



בְּשֵׁם אֱלֹהֵינוּ

CUm apud animum mihi constituerem Dissertati-
onem aliquam philosophicam *καθόλου* conscri-
bere, diu eqvidem æqvâ Animi lance pensicula-
vi, qvalem Materiam publicâ ventilatione dignâ assu-
merem. Sed ecce! dum anceps hæreo, occurrit con-
troversorum satis controversum thema, de Concursu
causæ primæ cum causis secundis agens. Quamvis verò
hoc difficultatis profunditate longè reliqvis antecellat;
nihilominus tamen eò acceptius atqve gratius esse, mihi
vulgare *πολυθρύκητος*, illud: *δύσκολα τὰ καλὰ;* spondet. Ut *εὐτακτως*
autem & ordine procedam debito, dispescam disserta-
tionem meam in duo Capita, qvorum alterum sententiæ
nostræ probationem offeret; alterum verò Adversario-
rum erroneas ac falsas opiniones refutabit. Ne verò
etiam prisco Majorum nostrorum instituto, qvi, *cum ali-*
quid commendandum esset, Precatione; cum exposcendum, vo-
to; cum solvendum, gratulatione, referente Valerio M. l. 1. c. 1.
de Rel. opus esse arbitrabantur; contravenire videar, jure
meritoqve DEUM ter Optimum Maximum calidis in-
voco suspiriis, ut hoc meum institutum ad Nominis sui
Gloriam dirigat!

CAPUT I.

DE

SENTENTIÆ VERÆ PROBATIONE.

§. I.

Quamvis sapiusculè ex Nominibus ad Rei percepti-
onem adspiremus, *testante Scalig. Exercit. 1. sect. 1.*

A 2

ego

ego tamen ad evitandam prolixitatem hac vice Causæ Etymologiam vel Homonymiam sicco quasi pede prætereo, dum illud ab aliis prolixè factum esse constat, *vid. Iac. Mart. Disput. Met. 7.*

§. 2. Causam autem in sensu Metaphysico accipio, ubi illa dividitur in primam & secundam, *vid. Stal. Compend. Metaphys. Tab. 6.*

§. 3. Est itaqvè Causa prima Ens independens, quod nullam causam agnoscit superiorem, ab illo verò reliqua omnia dependent Entia, & est solus DEUS; causa secunda verò est Ens dependens, quod agnoscit causam superiorem, sc. causam primam, suntq; creaturæ.

§. 4. Quod attinet primum membrum antecedentis Paragraphi, clarum est illud: Aut enim dependet à priori, aut à posteriori. Non à priori, quis enim prior DEO, quippè qui absolutè primus, prima causa, primum Principium; non à posteriori, quia omnia inferiora ab illo originem suam trahunt, ergò à nullo. Quod verò alterum spectat, prolixâ iterum probatione non indiget: Quòd si enim quis dependentiam negat, negabit simul, se in lucem à parentibus prolatum esse, adeoque illis non initium debere, quod tamen nemo nisi planè stolidus & stupidus facit. Excipis, quòd Protoplasti non sic à parentibus geniti sint? Resp. concedendo; Sed loco productionis parentum erat ipse DEUS, qui Adamum ex gleba terræ, Evam ex costa Adami creabat. Adeoque vides, quòd nec illi independentes fuerint, sed à prima causa dependerint.

§. 5. Notanter dixi in antecedentibus absolutè primus, siquidem etiam respectivè, *testante Fonssec. Comment. sup. Arist. Met. l. 6. c. 2. q. 2.* Causa prima tota aggregatio cœlestium corporum universaliter concurrans ad actiones purè naturales, quæ in hoc mundo per-

peraguntur, dicitur: nam omnes inferiores Causæ naturales ab illis superioribus in operando pendent, eademque aggregatio tantæ est virtutis, ut sibi subicere omnia inferiora possit. Verum enim verò hæ Causæ non excludunt DEUM tanquam primissimam (sit venia verbo!) causam, sed multò magis supponunt.

§. 6. Præsupposito nunc, quòd per causam primam nullus alius intelligatur, quàm DEUS, per secundam verò Creaturæ, jure meritoque mihi competit ut, quòd DEUS tanquam Causa prima cum actionibus causarum secundarum concurrat, probem. Atque hoc ex *Thoma Aquinate Part. 1. quæst. 104.* Siquidem DEUS est causa Creaturarum non tantum quoad fieri, sed etiam quoad esse directè & per se primò; Quando verò Effectus pendet à sua causa quoad esse directè & per se primò, pendet non solum in fieri, sed etiam conservari. Ita ergò pendent omnia à DEO. Habet deindè *Jacob. Mart. in Dissut. suâ Metaphysica 11. q. 5.* multas rationes, quibus probare nititur jam jam nominatam conservationem, dicit enim inter alia: *Si Lumen à Sole pendet in fieri & conservari, ergò multò magis Res creatæ pendebunt in conservari à prima causa. Consequentia probatur, siquidem multò essentialius quodlibet creatum pendet à DEO, quàm Lumen à Sole.* Ex conservatione verò concursum DEI concludi, quis negabit? Siquidem res creatæ DEI influxum seu concursum ad sui conservationem postulant. Porro si DEUS est causa prima quoad fieri & concurrat ad res creaturarum in fieri, uti supra ex *Thoma Aquinate* dixi, utique etiam ad rerum operationes concurrat. Nam per operationes, dicente *Scheibl. l. 2. Metaphys. c. 3. tit. 19. Art. 3.* rerum creaturarum sive causarum secundarum res sunt veluti per operationem genitæ res genitæ, vid. *Suarez. Dissut. 22.*

§. 7. Probato nunc dari concursum causæ pri-

mæ cum causis secundis, q̄ualitatem ejus evolvam, atq̄ve
 illum dupliciter conjunctim & disjunctim spectabo. Si
 illum (1.) conjunctim tam ex parte causæ primæ quàm
 secundæ considero, cum *Plurimum Reverendo Viro L. Va-*
lentino Alberti, Patrono, Præceptore atq̄, Promotore meo nun-
quam non Honoris cultu suspiciendo, ex Lætionibus ejus publicè
super Stal. Compend. Met. habitis, & quidem ex c. 5. Thes. 19.
dico: Quod in hoc concursu causa prima & secunda ita cooperen-
tur, ut creaturarum actiones non solum ab ipsis, sed & à D E O
immediatè dependere dici possint. Si (2.) disjunctim illum
 specto, necesse est, ut primò videam, quomodo concur-
 sus ille se habeat ex parte causæ primæ, & est nihil aliud
 dicente *Scheiblero l. 2. Met. c. 3. tit. 19. art. 3. quàm positivus*
influxus, quem præbet immediatè ad effectum, vel actionem cau-
sæ secundæ. Concurrit igitur DEus non efficiendo ali-
 quid in causa secunda, quicquid id sit, sed cum causa se-
 cunda. Rationem dat *Iac. Mart. Disput. Met. II. q. 7.*
quia causa secunda dependet à D E O in esse, ergo & ejus effectus,
quia utrumq̄, est Ens per participationem. Eodem respectu
 ab aliis ex parte Causæ primæ hic concursus considera-
 tur (α) tanquam universalis, siquidem ad omnium crea-
 turarum actiones, Angelorum, hominum, brutorum,
 Ranarum, piscium, vermium &c. concurrit (β) tanquam
 immediatus, ratio, quia DEus non cooperatur mediantibus
 creaturis, sed cum creaturis, producitq̄; ipse actionē
 cum causâ secunda. Secundò quomodo ex parte cau-
 sæ secundæ ille se habeat: Nimirum fit ille, ut & causæ
 secundæ reverà agant, quamvis distincto à causa prima
 modo, nam illa agit independenter, hæc dependenter.

§. 8. Dixi jam jam, quod concursus hic ex parte
 causæ primæ sit immediatus, quod ut rectè percipiatur,
 notetur distinctionem dari agentium immediatorum,
 inter ea, quæ agunt immediatione suppositi, & inter ea,
 quæ

quæ agunt immediatione virtutis. Ea dicuntur agere immediatione suppositi, quæ nullius suppositi ministerio agunt, & hoc pacto, DEUS quoque immediatum agens in creatione & conservatione cujuscunque rei. Immediatione virtutis autem agentia duobus modis dicuntur: Unus est, si agunt virtute non accepta ab eo, cum quo agunt, & hoc modo DEUS in omni actione & cujuscunque agentis comparatione dicitur agere immediatè immediatione virtutis, quia à nullo agente accipit virtutem agendi. Alter modus est, si ab agentium virtute, quomodocunque eis illa conveniat, immediatè proficiatur actio; & hæc immediatio DEO tribui etiam potest, *vid. de hac immediatione prolixè differentem Svvarez. Disp. 22. Sect. 1.*

§. 9. Quamvis verò juxta Javelli canonem (*L. 7. Met. qv. 1. Quicquid potest causa prima cum secundâ, potest etiam absq; secundâ*) possit prima causa absq; secunda agere, non tamen vice versa secundæ absque primâ: Nam omnia, dicente Scalig. *Exerc. 71. sect. 1. Quæcunq; aliquid agunt, vi ac virtute primi agentis agunt.* Nam neque ignis forma suam moveret materiam, nisi DEUS omnia moveret.

§. 10. Quod attinet primum, quod scil. causa prima absque secunda agere possit, probo ex creatione; siquidem ibidem immediatè & absque cooperatione ullius secundæ causæ illud chaos & ex illo omnes creaturas & res singulas creabat. Dicis, hodiè DEUM non ita semper procedere. Resp. concedendo. Exindè tamen non concludendum est, quòd DEO impossibile sit, si illi placeret, hominem ex nihilo creare, & dicente ipso S. Spiritu, Abrahamo ex lapidibus Filios condere, siquidem nullam involvit imperfectionem aut contradictionem. Alterum in antecedentibus probavi.

§. II.

§. 11. Effectus verò hujus influxûs sive concurr-
sûs causæ primæ nihil aliud est, quàm motus aliquis phy-
sicus, in se indifferens, neque moraliter bonus, neque
malus, habetque se non aliter hic D E U S, quàm sol, qui
se habens indeterminatè splendorem suum tam ad ma-
las quàm bonas actiones præbet. Quemadmodum
autem illi hanc ob causam nulla potest adscribi culpa;
ita quoque D E O quamvis hunc motum physicum crea-
turis largiatur, nulla culpa dari potest; siquidem, uti dixi,
est indifferens. Ipsa verò *causa*, quod peccem, est omni-
nò mala. Quis verò dicet, quod exindè D E U M esse cau-
sam peccati sequatur; siquidem ille satisfecit, dum ho-
mini arbitrium liberum hoc vel illud eligendi & pera-
gendi concessit; Imò talibus instruxit facultatibus, ut
bonum eligere & malum vitare possit.

§. 12. Licet autem causæ secundæ moveantur à
primâ causa, nihilominus tamen propriè ac liberè a-
gunt; Quòd si enim hoc negaretur, eveniret (1.) D E U M
esse causam peccati, (2.) Hominem destitutū esse libero
Arbitrio in naturalibus & civilibus, quod tamē illi post
lapsum relictum. (3.) Frustrà essent qualitates agentium
(4.) Rebus à D E O creatis perfectio debita non esset.
attributâ, & plura absurda, quæ exindè evenirent, *lege*
Iac. Mart. Diss. 11. q. 5. & Scheibl. l. 2. c. 3. Tit. 19. art. 1.

§. 13. Agit itaq; causa prima cum creatura eâdem
numero actione, quâ creatura agit; *Quo pacto Faber, dicit*
Fonsec. Comment. super. Met. Arist. l. 5. c. 2. q. 9. præterquam
quòd movet securim ad secundum, (quæ est applicatio instru-
menti ad opus, quale instrumentum causa secunda nostra,
non est) agit etiam cum securi illâ eâdem actione, nempe ipsâ
sectione. Nam si in illo effectu essent duæ actiones, una
soli D E I, & altera causæ secundæ, terminatæ ad unum
eundemque effectum, interrogarem: An actio causæ
secun-

secundæ sit à sola illa, & non à DEO per se immediatè: Et hoc dici non potest, sequeretur enim effectum solùm fieri causæ secundæ à prima, non tamen ipsam actionem, quod, quàm falsissimum sit, clarum est, *vid. Suarez. Disput. 22. sect. 3.*

§. 14. Et hæc de Concursu DEI quoad sententiam nostram dicta sufficiant, ex quo veteres Philosophi dependentiam creaturarum à DEO in conservatione cognoverunt; Quemadmodum illud testatur *Iustinus Martyr. in Orat. paræneticâ ad Gent. & latius confirmat Eugebinus l. 1. de perenn. Philos. à cap. 28. & lib. 3. ferè per totum. Aliàs hunc Concursum quoque defendunt & prolixè de illo differunt Arriaga disp. Phys. sect. 1. subsect. 2. p. 270. Mendoza disput. 8. Phys. sect. 2. Wendelinus in contemplat. Phys. sect. 1. p. 1. c. 4. th. 5. §. 7.*

CAPUT II.

DE

SENTENTIÆ FALSÆ REFUTATIONE.

§. I.

Nunc quoque adversariorum Vires experiendæ supersunt, ut ne de *invidia* *et* *vires* gloriari habeant, dum multa numero, non multum pondere dixerunt. Atq; hanc hæresin, quòd scilicet DEUS non ad operationes creaturarum concurrat, foventes jamdudum Pelagiani dixerunt, referente *Hieron. l. 1. contra Pelagian. & August. l. 5. de Genes. ad Lit. c. 20. & l. de grat. Christ. c. 4. posse sese sine Auxilio DEI movere Manum, curvare digitum, sedere, stare ambulare, quod quàm falsissimum sit, probavi superius §. 6. sect. 1.*

§. 2. Verùm nec hoc solum isti hæretici statuerunt, sed etiam ii, qui in numero Christianorum voluerunt recipi, quales sunt *Durandus 2. sent. dist. 1. quest. 5. & dist. 37. quest. 1. Ludovicus à Dola, aliique sic argumentantes:*

B

Qui-

Quicumque Concurfus in DEUM confert culpam, quoad peccata ab hominibus perpetrata, ille eft rejiciendus.

Atqui hic &c. Ergò.

Majorem claram effe arbitrantur; Minorem verò probant fic: *Si DEus concurrat ad omnia, concurrat etiam ad peccata.* Verùm ad hoc Resp. diftinguendo inter peccati materiale & formale; Concedo, quòd DEus concurrat ad peccati materiale, nego, quòd ad formale, fiquidem eft DEUS non volens peccatum, *Ps. 5. v. 5.*

§. 3. Quid verò miramur, quòd hoc viri alius Religionis ftatuerint; fiquidem etiam non erubuit hunc Concurfum DEI cum creaturis negare vir noftre Religionis addictus Nicolaus Taurellus, Professor Altorfinus, dum omnium peffimè de hoc Concurfu *l. d. ætern. rerum, part. 2. qv. 45.* fic loquitur: *Magna profectò eft indignitas, DEum, qui Naturam faceret, Naturæ socium effe, ad abjectas etiam operas, perpetuumq; laborem: Si voluit DEus femper operari, cur Naturam fecit? An putas DEum, fi quid facere velit Concaufa indigere Naturâ.* Hactenus Taurellus. Sed huic tam absurdè & imprudenter impudenterque loquenti Resp. quærendo: Quæ major fit indignitas, vel quòd DEUS illas abjectiffimas, quæ folùm à nobis in tali vili æftimio habentur, creaverit; vel quòd cum illis cooperetur illasque confervet! Sanè Dominus manet, etiam in hac ipsâ actione, fiquidem regit & gubernat, quòd non eft fervi. Nec porrò laboriofus eft ille concurfus DEO, fiquidem in actionibus, *disputante egregiè Scalig. Exerc. 76. fect. 41.* immaterialibus non datur defatigatio aut delaffatio: id quòd etiam *Augustin. l. 12. d. Civit. c. 17.* teftatur inquiens: *Non cogitetur in DEI vacatione, ignavia, defidia, inertia: ficut nec in ejus labore conatus, induftria: Novit quiefcens agere, & agens quiefcere.* Deindè non potuit facere infinitum & independentem effectum; fiqui-

quidem involvit imperfectionem, non quidem respectu
suae potentiae, sed respectu impossibilitatis in objecto.
Qua de causa multò magis dicamus, dicente Scheiblero l. 2.
Met. c. 3. tit. 19. Art. 2. illum tam non posse fieri, quàm DEUM
non posse illum facere. Cur autem DEUS ita condere naturã
voluerit, scire non possumus: *A nostra tamen ignorantia,*
juxta Canonem, ad rei sublationem non valet consequentia.
Neque inde DEUS eget naturã & ejus concursu, siqui-
quidem illã etiam dimissã (uti supra §. 9. monstravi) agere
potest, absolutã suã potentiã, quando & quoties vult.

§. 5. Alii nobis objicientes ex hoc Concursu sic
concludunt: *Si DEUS concurrat ad actiones hominum, concur-*
ret etiam ad voluntatem hominis, adeoque voluntas non erit libe-
ra, & per consequens homo destituetur libero Arbitrio. Verùm
enim verò ad hoc Resp. negando consequens. Siquidem
libertas humana non tollitur, ratio est hæc, quia Concur-
sus DEI est quid concomitans actionem, non verò præ-
requisitum, nunc verò indifferentia ad agendum non tol-
litur per concomitantia actionem, sed per prærequisita;
siquidem liberum agens positis omnibus ad agendum
prærequisitis nõ potest non agere. Proinde hic Concur-
sus non magis tollit libertatem, quàm quod unum quod-
que agens, cum de præsentia agit, non potest non agere, &
cum egit, non potest non egisse.

§. 6. Alii dicunt, quod causæ secundæ non pro-
priè agant, quales sunt Gabriel Biel l. 3. Dist. 1. q. 1. & 3. Ali-
acensis l. 4. sent. dist. 1. q. 1. Qui omnem causis secundis a-
ctionem detraxerunt. Sed negatur hoc; siquidem utraq;
causa agit. Nam si hoc nõ esset, omnia illa à me superius
§. 12. citata absurda evenirent. Horum & sententiam ne-
gat Albert. 2. Phys. Tract. 2. c. 3. Averroes 9. Phys. comment.
5. & l. 2. comment. 18. Tom. 9. 3. de potent. Art. 7. Svvarez.
disp. 18. sect. 1. Colleg. Conimbr. 2. Phys. c. 7. quest. 11. Art. 1.
Fonseca l. 5. Met. c. 2. Q. 5.

§. 7. Objiciunt porrò: *Non procedere potest una actio à duobus.* Respondeo concedendo, si nempe illi agentes sunt unius ordinis, negando, si diversi: quemadmodum hoc *Thomas part. 1. q. 105. ad. 5. testatur dicens: una actio non potest procedere à duobus agentibus unius ordinis: Sed nihil prohibet, quòd una & eadem actio procedat à primo & secundo agente.* Adde, inquit *Svvarez. disp. 22. 3. necessarium esse, quia ab utroque essentialiter & immediatè pendet.*

§. 8. Dicunt præterea *inconveniens esse, quod talia agentia sint partialia.* Resp. verò negando; siquidem illæ causæ sunt diversorum ordinum, & non propriè dicuntur componere unam causam totalem, sed unaquæque est causa integra in suo ordine.

§. 9. Alii DEO omnia adscribentes creaturas nihil omninò agere arbitrantur, quales sunt inter *Arabes, testo Averroe 9. Met. comment. 7. d. 1. 12. Comment. 15. Petrus de Aliaco. l. 4. sent. dist. 1. qu. 1. Gabriel in librum 4. dist. 2. qu. 23. Ludovicus Cironius l. 2. de placitis Philos. c. 33. Marsilius Cognatus l. 5. de causæ primæ efficientiâ. c. 45.* Dicunt, ad actiones, quæ creaturis adscribuntur, illas se habere prorsus per accidens, & non magis esse causas earum, ac ingrediens domum, est causa ruinae, si eo ingrediente paries vel ostium ruat. Sed ad hoc Resp. cum *B. Scharffio ex Theor. ejus transcend. disp. 11. Ps. 5. Sanè, si DEus solitariè ageret, sine cooperatione causarum secundarum, non video, quomodo non aequè debeat urere aqua quàm ignis.* Nihil jam dicam de absurdis, quæ exinde promanarent: sequeretur enim adulterum non mœchari, neque furem furari, aut homicidam necare, sed DEUM. Absit blasphemia! Quare liquet, habere omninò causas secundas virtutem agendi, & reverà agere.

§. 10. Et hæc de Concursu causæ primæ cum causis secundis dicta sufficiant, quibus subscribo illud
Sal-

Salviani Presbyteri Marfilienfis : Mens pii studii ac boni
voti, etiamsi effectum non invenerit coepti operis, habet ta-
men præmium voluntatis.

DEO GRATIAS,

Differis heic primùm, primam Sociando Secundæ
Causam; quod primum Prima secundet opus.

*Primis Humanis. Dn. Resp. conatib.
gratul. f.*

L. VAL. ALBERTI, P. P.

ARdua Concurfus si res, *PITSCHMANNE*, subacti
Judicio * *Heerbordi*; cur placet ille adeò?
Scilicet haud nescis, quòd sint magis ardua pulchra:
Approbo conatum; perge juvante DEO.
Namq; juvante DEO, poteris feliciter omnem
Hunc studii cursum solve; solve brevi!

* *Adrianus Heerebord. Meletem. Philos. volum. i. disput. 7. de
Concurfu DEI thes. i. pag. m. 27. Si quid, inquit, in
Philosophia universa arduum est ac difficile explicatu,
concurfus est divinus, in quo explicando tam fuit à Philo-
sophis laboratum & sudatum, ut nullibi magis & c.*

PRÆSES,

Ad Literatis. Dn. Respondentem.

AN non transcendit rationem *IOVA*: Quid ergo
Mortalis captus scire laborat eum?
Verum est, nemo satis valet hîc comprehendere *Nimen*:
Ast ex parte DEUM mens quoque nosse potest.
Novimus in cujusq; rei quod facta creatæ
Influat, & præsens id benè charta docet.
Concurrat posthàc Tecum specialiter, opto,
VIS PIA, sic magnus, ritè beatus eris.

Animo gratulabundo scrib.

M. Godofredus *Böttner* / Siles.

B 3

Dum

DUm *PIETSCHMANNE*, Tibi *PRIMAM* de-
fendere *CAUSAM*

*Mens fuit in primâ fronte, decenter agis.
Nam qui Principio vigilans meditari hocce
Quod prius est properat, ritè locabit opus.
Gratulor en! pergas capto contendere cursu,
Prima Tibi quondam præmia causa dabit.*

M. Henricus Hildebrandus.

QVid Sophiæ tribuas, metæ quàm fervidus instes,
Quæ quondam doctum patriis Te sistet in Arvis,
Nunc Actu monstras: Laudo tentamina prima,
Rex hominum, rerumque Parens, qui cuncta gubernat,
Magnus consiliis porro DEUS omne secundet
Cœptum! quod voveo. Virtuti Patria quondam
Digna brabea Tuæ statuet, pretiumque laboris.

*Politissimo Domino Respondenti, Matruei suo animi-
tùs dilecto, gratulabundâ mente breviter
ita ominabatur*

Christianus Schubertus, Zitta Lusatus
J. U. C.

So fleucht ein Adler auff! ein Geist entflambter Sinn
Lâst daß ermattete Volck / den tummen Böfel liegen/
Und bey der Murcia die faule Furche pfliegen;
Er aber strebt nach Ruhm und dencket stets dahin /
Wo die geneunte Zunfft bey ihrem Vater sitzt/
Und wo auff Helicons belaubten Lorber Höhen
Mit Künsten ausgerüst / die muntern Sachen gehen;
Denn hier wird nur durch Fleiß ein recht Mercur geschniht.
Ein solcher ist auch Er / mein vielgeliebter Freund/
Der von der Kindheit an Minervens Brust gesogen
Und nach dem Helicon in vollem Flug geflogen/
Allwo man erst erkennt daß Er der Faulheit feind

Denn

Denn Künsten günstig sey: Drum thut Er sich herfür
Und läst die Flammen sehn/ wo die Gelehrten sitzen.
Ich wünsche Glück darzu! und gönne seinem schwitzen
Ins ehste einen Kranz von Daphnes Lorber Zier.

Dieses sekte dem Herrn Respondenten als
seinem Herrn Landsmann glückwünd-
schende hinzu

Gottfriedt Hülse.

Mein Freund sein iezges Thun weist daß Er stets bemühet
Was rechtes zu erlern. Nun wohl sein Glücke blühet
Im angefangnem Werck. Ihm wird nicht fehlen Lohn/
Sophia zeigt bereit die künftige Ehren-Krohn.

Zu bezeigung seiner Schuldigkeit sekte
dieses wenige hinzu

Salomon Schöpff/ Chryphim. Sil.
LL. Stud.

Madrigal.

Unhöflich ist's/ wenn wieder giebet raus
Ein (a) Trinckens-Mann/ was Er durch vieles schlingen
Vom Bacchi Trancf zu sich genommen hatt!
Allein hier ist's nicht so bewand
Denn Ehre bringet dieses Blat.
Weil solches wieder zeigt/ was von Sophiens Hand
Du eingetruncken hast.
Drumb trincke glücklich fort/ bis man wird singen:
Herr Pilschmann trägt darvon Apollens Lorber-
Strauß.

(a) Pilsch in Polnischen bedeutet so viel
in Deutscher Sprache als trincken.

Dieses sekte so wohlmeinend als eilender sei-
nen vielgeehrten Herren Stubenge-
sellen

Melchior Eschentscher / Augustin Hahn
in Schlesien Phil. Stud.

Amice,

A Mice, pectus, quod Tibi Pallas dedit,
Se prodit hîcce, quando doctè disputas,
Quid causa prima, quid secundæ causæ agant.
Sophos supremum te citò membrum capit,
Claro Lycei qui refers gregi tuas
Opes. Lucrari disce porrò jugiter
Hâc emptione, & te canet Musæ cohors,
Sophiâ & probante cuncta laudibus colet,
Per Te suos dum conspicit flores legi,
Florem tuæ de Patriæ notat fore.

Gratulab. accinebat

GEORGIUS Heintze/Olsnens. Sile-
sius Phil. & Med. Stud.

FINIS.



99 A 6993 (1)

ULB Halle 3
002 826 593





f
Sb.

V 8 17

Retro ✓







Q. D. B. V.
DISSERTATIO METAPHYSICA
DE
CONCURSU CAU-
SÆ PRIMÆ CUM CAU-
SIS SECUNDIS,

Quam
Consensu Inclutæ Facultatis Philoso-
phicæ in Almâ Lipsiensi
SUB PRÆSIDIO
VIRI CL.

M. VALENTINI FRIDERICI,
SS. Theol. Baccal. & Facultatis Philos.
Assessoris,

Dn. Fautoris, Præceptoris, atqve Studiorum suorum
Promotoris omni honoris cultu æternùm deve-
nerandi,

*publico φιλοσοφῶντων Examinī
submittit*

GEORGIUS BOZZOB Putschmann
Lignicensis Silesius,

AUTOR ET RESPONDENS.

ad d. 24. Augusti.

ANNO clō Iōc LXXII.

LIPSIÆ,
Literis CHRISTIANI FICKII.

